

Præterea, Lucæ ultimo Dominus interpretabatur Scripturas discipulis suis, qui certe noverant phrasas Hebraicas, cum essent Hebræi, nec erant superbi, vel infideles. Act. 8. Eunuchus Reginæ Aethiopum versabatur in Scripturis, easque diligenter legebat, & sanctus, pius, & humilis erat, ut Hieronymus docet, in epistola ad Paulinum, de studio Scripturarum; & tamen interrogatus à Philippo: *Putas intelligis, quæ legis? respondit: Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi?*

Denique 2. Petri ultimo, B. Petrus asserit, in epistolis Pauli esse quædam difficilia intellectu, quæ indoctis & instabiles depravant. Vbi notandum est, Apostolum Petrum non dixisse, esse quædam difficilia indoctis & instabilibus, ut hæretici exponunt, sed difficilia absolute. Nam B. AUGUSTINVS, qui certe indoctus & instabilis non erat, libro de fide & operibus, cap. 15. & 16. fatetur, sibi difficillimum esse intellectu locum illum, 1. Corinth. 3. *Si quis autem superædificat super fundamentum, &c. & dicit, hunc esse vnum ex illis locis, quæ B. Petrus monuit esse difficilia intellectu.*

DEINDE, præter Scripturæ testimonium, idem ostendi potest ex communi consensu veterum Patrum. IRENÆVS lib. 2. cap. 47. posteaquam in rebus creatis & naturalibus plurima nos latere docuit, adiungit: *Si ergo & in rebus creatis, quædam quidem eorum adiacent Deo, quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in Scripturis requiruntur, vniuersis Scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem ab soluamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non solum in hoc seculo, sed & in futuro, ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt à Deo.*

ORIGENES lib. 7. contra Celsum: *Alij quoque cordati viri, scrutando Scripturam intellectum eius inuenire potuerunt, licet verè sit multis locis obscura. Item homil. 5. in Leuit. similem sententiam habet, adducens similitudinem hostiarum, quarum pars comedebatur à Sacerdotibus, & pars incendebatur Deo. Item homil. 12. in Exodum: *Diebus ac noctibus, inquit, obscurandum est, ut veniat Agnus de tribu Iuda, & ipse librum signatum designetur aperire. De Basilio & Gregorio Nazianzeno ita scribit RUFFINVS lib. II. hist. cap. 9. *Ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collega per annos tredecim, omnium Græcorum secularium libris remotis, solis diuina Scriptura voluminibus operam dabant, earumq; intelligentiam non ex propria presumptione, sed ex maiorum scriptis & auctoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendis regulam suscepisse constabat.***

Iam CHRYSOSTOMVS, quem solum hæretici nobis oblicere solent, homil. 40. in Ioan-nem, in illud; *Scrutaminis Scripturas.* Christus, inquit, *Indeos ad Scripturarum non simplicem & nudam lætionem, sed ad inuestigationem perquam dili-*

gentem relegauit. Non dixit; Legite Scripturas, sed, Scrutaminis. Diuina enim summa indigent diligentia. In umbra enim maioribus illis non absre loquutus est, idcirco effodere profundius iubet, ut quæ aliè delitescunt, inuenire possimus. Non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profunde reconditur. Qui enim huiusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam & laborem, nunquam quæ sita inueniet. Item Auctor operis imperfecti, homil. 44. in Matthæum, duas adfert rationes, cur obscuræ sint Scripturæ. Prima, quia Deus voluit alios esse magistros, alios discipulos. Secunda, ne si clara esset, non tam esset vilis, quam contemptibilis.

AMBROSIVS in epistola 44. ad Constantium: *Mare, inquit, est Scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinem prophetico-rum enigmatum, &c. HIERONYMVS in epistola ad Paulinum, de studio Scripturæ, ex instituto docet, non posse Scripturas disci sine magistro; & percurrens breuiter nomina singulorum librorum, ostendit in omnibus, magnas & multas esse difficultates. Idem præfatione commentar. in epistolam ad Ephesios: *Nunquam, inquit, ab adolescentia, aut legere, aut doctos viros, quæ nesciebam interrogare cessauit, aut meipsum habui magistrum.* Denique nuper ob hanc vel maximè causam Alexandriam perrexi, ut viderem Dydimum, & ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam dubia, sciscitaret. Et in epistola ad Galgiam, quæstione octaua: *Omnis, inquit, epistola ad Romanos nimis obscuritatibus inuoluta est.**

AUGUSTINVS libro secundo doctrinæ Christianæ, cap. 6. *Sed multis, inquit, & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus occupantur, qui temerè legunt aliud pro alio sentientes: quibusdam autem locis, quid vel falso suspicentur non inueniunt; ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt, quod totum prorsum diuinitus esse non dubito ad edo-mandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facile inuestigata plerumque viluerunt.* Item libro 12. Confess. capite 14. *Mira, inquit, profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed miræ profunditas, Deus meus, miræ profunditas. Horror est intendere in eam; horror honoris, & tremor amoris.* Et epistola tertia: *Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab in-centente pueritia vsque ad decrepidam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.* Et epistola 119. capite vigesimo primo: *Ita ipsi sanctus Scripturis multo nescio plura, quam scio.*

GREGORIUS homilia sexta in Ezechielem: *Magna, inquit, vtilitas est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhuc manus aliud, quasi Scripture sacre intelligentia in cunctis esset aperta, videret, quæ in quibusdam locis obscurioribus tanto maiori dulcedine*